



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Heremi Dei Parae Matris Monasterii In Helvetia Ordinis S. Benedicti

Hartmann, Christoph

Friburgi Brisgouiae, 1612

Geroldvs I. Ex Comitibvs Saxi Mesavciae Dominis Abbas Heremitarvm
XXXIII. Princeps Imperii Decimvs Sextvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38545



GEROLDVS I. EX
COMITIBVS SAXI ME-
SAVCIAE DOMINIS ABBAS HE-
REMITARVM XXXIIL. PRINCEPS
IMPERII DECIMVS SEXTVS.

SED vbi Bulla ea, quam de Indulgentijs Sacel-
lum DEIPARÆ Heremitanæ visitantibus ab Ni-
colao pontif. impetrarat abbas Franciscus, red-
dita Heinrico Constantiensi Episcopo, continuo
eamdem publicatis in ciuitate, et tota Dioecesi literis, recipi,
et obseruari præcepit statutis et mandatis ordinarijs, et alijs
in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque,
xv 11. kalend. Decembris. Annus tertius, et quinquagesi-
mus longe memorabilis, atque lamentabilis fuit Imperij

A. D. N.

CIO. CD.
LIII.

Orienta-

Occidentalis excidio. Mahemetes enim 11. Turcarum princeps Constantinopoli per dies L. assidue conquassatam expugnauit. iv. Kal. Iunias, ultra quadraginta hominum millia crudelibus modis interemit, in quibus Constantinus Palæologus vltimus Græcorum Imperator, alterum aquilæ caput amputauit, fœda principum Christianorum ignominia. Clades ea Ecclesiæ accepta Nicolaum optimum pontificem ad eum adfecit, vt plerique ea ex ægritudine contabuisse prodiderint. Nihil tamen non mouit, vt contra barbari insolentiam, & superbiam Christianos coniungeret. Missis in omnes pene partes literis, & concionatoribus, qui populos ad arma sumenda, & crucem salutiferam induendam cohortarentur. In quibus insignis fuit Ioannes Capistranus ordinis sancti Francisci monachus. Is anno sequenti in Germaniam profectus efficaces, multis locis, conciones habuit, quibus non modo arma aduersus barbaros excitauit, sed multa quoque in moribus emendauit. Alexæ, chartæ lusoriæ passim in ignes publicos coniectæ, vestium luxus compositus. Anno quinquagesimo quinto, defuncto Nicolao successit Callixtus 111. Et is eius vestigia secutus multo vehementius omnes Christiani orbis principes contra Turcas sollicitauit; parum efficaciter, plerisque suis rebus intentis, & ab cõmunitatis bono alienis, aut parum curiosis, quasi, vniuersitate pessumdata, ipsi consistere possent. Eodem anno contulit Geroldus Eberhardo nobili à Rosvill Maioratum Aeschentij, precibus Heinrici à Rockvill, qui Rosvillano filiam collocarat, & ei doti promiserat Maioratum. Sed Mahemetes, expugnata Constantinopoli, & Græcis subactis, omnia sibi prona, & peruiaratus, cum iam Italiam, & vrbium dominam Romam spe, & ambitione deuorasset, in Pannoniam exercitum numerosissimum duxit; anno quinquagesimo sexto, & Albam Græcam, quam & Belgradum vocant, quæ prima se obtulerat, magnis molibus oppugnauit. Sed eruptione facta Ioannes Huniades, adhortante qui aderat Capistrano, non modo hostium vesaniam repressit, fuditque oppugnantes, & fugauit, sed in po-

A. D. N.

CIC. CD.
LIV.

A. D. N.

CIC. CD.
LV.

A. D. N.

CIC. CD.
LVI.

*A. D. X.**CIJ. CD.
LVII.*

sterum aliquamdiu continuit. Victoriā longè celeberrimā plerique precibus, & sanctitudinī Capistrani retulere acceptam. Anno quinquagesimo septimo frequentes fuere Raperſvillæ inter opidanos diffensiones, diuisa per factiones communitate, alijs in veteri, & Austriaco dominio remanere volentibus; alijs ad Confederatos inclinantibus. Sed anno sequenti ex Constantiensi tumultu, magis quam bello, ob leues iniurias, & ignominiosa Cōstantiensium verba, ab Confederatis illato, cum ex agro Constantiensi Vranij, Suiſij, Siluanij, & Glaronenses intra mœnia, specie transitus, admitti essent, facile Austriacos repressere, & opidum in fidem acceptum suæ clientelæ fecerunt, saluis omnibus eorum priuilegijs, & relicto Reipubl. statu antiquo, indignantibus ad eam iniuriā Principibus Austriæ factam etiam Tigurinīs & plerisque alijs Confederatis. Eodem anno, Callixto susceptus Kal. Septemb. Pius 11. Is continuo Concilium Mantuam contra Turcarum tyrannidem, & irruptiones indixit.

*A. D. X.**CIJ. CD.
LIX.*

Anno quinquagesimo nono priuauit Pius ducem Austriæ Sigismundum communionē piorum, quia Cardinalem Cusanum Brixie episcopum iura sui Episcopatus acrius tucntem, & abusus multos tollere conatum, quorundam Ecclesiasticorum studio, & calumnijs in custodiam coniecerat. Mox Confederatos, vt fama fuit, ad bellum inferendum Duci, tamquam rebelli Ecclesiæ, cohortatus est. Illi occasionem amplexi frustra Vitodurum oppugnarunt. Eodem tempore quæ fuerat inter abbatem Monasterij sancti Galli Vlicum, & Abbatiscellanos de finibus controuersia, Confederatorum opera, & Geroldi auctoritate determinata apud Heremum. Sub finem anni condidit Pontifex cum Mantuæ exsequendo Concilio attenderet Basileæ Academicam, priuilegijsque ijsdem, quibus Bononienses vtuntur, exornauit, duabus Bullis quarum prima edita tertia Idus Nouembris: Altera pridie kalend. Ianuarij. Vtraque Mantuæ anno sequenti Quo anno iterum Vitodurum Confederati tentarunt; sed frustra tum quoq; fuerūt, magna Turgoniæ nobilitate possessum. Ludouicus Palatinus Conuētu

*A. D. X.**CIJ. CD.
LX.*

Constan-

Constantiæ factò, iterum pacem inter eos, & ducem Sigismundum fecit, & inducias annorum quindecim, feria 11. post Trinitatis. Cesserat Pius Pontifex cum adhuc in priuatis rebus esset, beneuolum, & propensum erga Heluetios animum, vbi verò pontificatum adeptus est eundem adfectum pluribus modis declarauit. Sed præcipuè aduersus Heremitas optimi, & beneuolentissimi patris officio defunctus est. Petentibus non modo Eugenij 1 v. & Nicolai v. bullas confirmauit, sed quod constituerant ipsi certorum annorum spatium, perpetuum esse voluit, data abbatibus, & omnibus illis, quos ipsi constituerint, potestate, liberè, & licitè absoluendi quoscumque, qui ad Sacellum DEIPARÆ accesserint, ab omnibus peccatis, criminibus, & excessibus quæ confitebuntur, præterquam Sedi Apostolicæ casibus referuatis, nec non eis pœnitentiam salutarem iniungendi, ac Eucharistiæ, ac alia Sacramenta Ecclesiastica ministrandi, & si in eiusdem casibus non referuatis pœnitentia publica foret injungenda, illam in aliam pœnitentiam salutarem commutandi, alicuius licentia superioris minimè requisita. Literas huius rei dedit Romæ perpetuis futuris temporibus duraturas Kalend. Febr. Anno sexagesimo tertio. Paucis post mensibus quarto scilicet Nonas Iunij eiusdem anni, quia ostenderat Geroldus ab primo nostri Monasterij exordio valuisse consuetudinem, vt nisi è nobilibus, & illustribus familijs in id non admitterentur, bullam aliam scripsit conseruandæ Monasterij antiquæ hætenus & receptæ claritudini, qua, auctoritate Apostolica, decreuit, vt nullum in monachum eiusdem Monasterij contra prædictam consuetudinem recipere nostri teneantur, nec ad id inuitos compelli posse. Eodem anno fecit Pius cum Venetis, & duce Burgundiæ factus, Turcis bellum indixit, exercitus Christiani se ductorem nominauit, omnium Christi fidelium opem implorauit, religiosi etiam bellandi potestatem fecit. Eisdem diebus, mortuo Heinricho successit in Episcopatu Constantiensi Burcardus à Randeck, qui præfuit annos 111. Sed Geroldum etsi suum monasterium supradictis, & tot

*A. D. X.**CIO. CD,**LXIII.*

alijs priuilegijs, bullis, & decretis pontificum, amplisque, & raris Indulgentijs magnopere auctum, & illustratum animaduvertebat, duo tamen maxime angebant, vexabantque. Quod eadem Indulgentiæ, nisi episcopi Constantiensis, tamquam Ordinarij, approbatione, & auctoritate publicari non poterant: Et quod Leonis VIII. pontif. à pœna, & culpa bulla ab posteris pontificibus minus clarè sibi videbatur confirmata: simul aliquam etiam ab illis fieri mentionem Angelicæ Dedicacionis cupiebat, tot iam secularis creditæ, & tot miraculis comprobata. Igitur ad Pium, quatenus jam ad eò propensum cognouerat, ipsemet proficisci constituit, adsumtoque centum equitum amplissimo comitatu, & relicto in Heremo vicario Richardo è baronibus à Falckenstein, in viam se dedit, anno sexagesimo quarto ineunte. In agrum Senensem cum peruenisset, Petreoli Pontificem qui ad classem contra Turcam proficisceretur, offendit. Ibi non modo quam antè dederat Pius de peccatorum omnium remissione, & absolutione, exceptis casibus Pontificiæ Sedi reseruatis, bullam perpetuam confirmauit, sed multo latius Angelicæ dedicacionis solennitatem ampliauit, & extendit, paucis admodum casibus, quos ipse illic commemorat, Pontifici receptis, Leonis VIII. & omnium antecessorum suorum pontificum indulgentias, decreta, bullas, sicuti antea, iterum confirmauit, & in perpetuum valere iussit, *Petreoli quarto Idus Aprilis*, eodem anno. Eodem loco, & die bullam aliam dedit, qua constituit, vt Geroldus, & eius posteri literas Apostolicas omnes, quas impetrauerunt ab summis pontificibus, aut impetrabunt, absque episcopi Constantiensis, tamquam Ordinarij, & eius officialium licentia, vel consensu publicare, & liberè exsequi possit, abrogata hac in parte Ordinarij potestate, & consuetudine, quæ in ualuerat, reuidendi apostolicas bullas, antiquata, Episcopis etiam Basiliensi, & Curienti, Præpositoque Tigurino idem Pius Pontifex mandauit, ne quam Geroldo, & eius successoribus occasione prædictæ abrogacionis molestiam

inferri

A. D. X.

CLO. CD.
LXIV.

inferri permittant, contradictores, auctoritate Apostolica, appellatione postposita, compescendo, non obstantibus priuilegijs, & indultis, seu literis Apostolicis, ceterisque contrarijs quibuscumque. Addidit bullas alias, vnam contra possidentes bona Monasterij iniuste: Aliam qua omnia Monasterij iura, bona, prædia, possessiones, priuilegia, immunitates, indulgentias, libertates quoque secularium exactionum, eidem à regibus, Principibus, alijs Christi fidelibus concessas confirmauit. Suscepit, eadem Bulla, Monasterium cum omnibus suis subditis, & annexis, & bonis in protectionem D. Petri, & Apostolicæ Sedis perpetuam. Quod verò ait pontifex, nonnullis in bullis, conuersus ad Geroldum, *Nos tuis supplicationibus inclinatus tibi, qui, vt asseris, de Comitum, & Baronum genere procreatus existis*, haut ex vano adseruit Geroldus. Saxensium enim inter barones Rhætos antiquissima, & clarissima memoria. Tenuerunt verò vltra Dominium Saxi, & Altisaxi vallem Mefauciæ, vnde & se Barones Saxi, & Mefauciæ dominos titulis dixerunt. Inter Comites retulit Sigismundus Imperator occasione Comitatus Bilitionis, quem Saxenses Philippo Mediolanensium duci armis eripuerant, & postea Vraniensibus, & Sutijs, cum retinendi spes difficilis esset, vendiderunt, cuius nihilominus titulum pauci postea conseruarunt. Matrem verò habebat Geroldus ex antiquissima, & nobilissima Comitum Verdenbergæ familia procreatam. Ceterum Pius pontif. Petreolo Anconam delatus, cum federatorum auxilia aliquamdiu expectasset, & subinde febris anxium, & expeditioni intentum inuasisset, visis demum è specula Venetorum, Pisanorumque triremibus, lætus, & exultans, veluti voti compotitus, vita excessit x. Kalend. Septembris eiusdem anni. Succesit Paullus 11. annos v. 1. menses x. At verò Geroldum in Heremo reducem, ingenti omnes lætitia, & congratulatione, campo Monasterio adiuncto, & patenti recepere, vbi postea memoriæ causâ Sacellum S. Crucis posuit, & dedicauit. Sed hæc communis lætitia paullo post in

A. D. N.

CIX. CD.
LXV.

maximam mæstitiã mutauit, absumto Monasterio, per fortuitum incendium, sequenti anno, Dominica Quasimodo, & quidquid in eo ligneum fuit, super supellectilem sacrã, profanam, auream, argenteam, librariam, adeoque, præter muros, in infelices cineres omnibus redactis, & collapsis. Ea clades ad maximam egestatem Monasterium adegit, & inde conflatum ingens æs alienum, quando jam, superiori anno, Italica profectioe, sumtus haut tenues Geroldus tolerarat, tanto comitatu, & tam longinquo itinere. Accessit his in supplementum malorum inter Geroldum, & Suitenses dissidium, Suitensibus, aduocationis, vt volebant, iure, quid in ærario pecuniæ superesset, cognoscere postulantis, & repugnante Geroldo, nihilque ad aduocationem id attinere perseuerante, & quamcumq; sibi vindicant aduocationem ab Sigismundo ab initio per fraudem acceptam. Coactus tamen importunis eorum diuexationibus Monasterio cedere, in palatium Tigurinum familiam transtulit, & de iure cum ipsis certare constituit, adscitis ad iudicium reliquis Confederatis. Conuentus nonnulli eam ob rem Tiguri facti. Sed & Paullus pontifex causam Geroldi suscepit, intellectaque expulsionis occasione, eum per Archiepiscopum Maguntinum, & Episcopos Argentinensem, & Basiliensem restitui bulla Apostolica mandauit. Et postremo in Heremum reductus Geroldus. Sed cum tum quoque parum sibi æquos Suitios experiretur, manerequè odium, lite sopita, ad eam, quam prius gesserat, S. Geroldi præposituram redire decreuit, constituto Vicario Cunrado ex Baronibus ab Hohenrechberg, Francisci quõdam abbatis ex fratre nepote. Cunrado, vbi Monasterij curam suscepit, præcipuum reedificandi studium fuit, templi inprimis, & sacratissimi Sacelli. Et si enim per tantum incendium Sacellum DEIPARÆ detrimentum nullum acceperat, non absque magno miraculo, quatenus ligno cooperiebatur, & interiora ex eadem materia erant laquearia, tamen in futurum providere Sacelli incolumitati, & conseruationi voluit. Accepta igitur ab Burcardo Episcopo licentia, lignea laquearia deiecit, & forni-

cem im-

cem imposuit lapideum, quoque validius contra quamcumque vim consisteret, pilas quadrato è lapide circumposuit, anno Sexagesimo sexto, vsus præcipuè liberalitate Rudolphi à Camo Burgimagistri Tigurini, Heinrici ab Hunvilla prætoris Lucernensis, Itelij Reding officialis, & Iodoci Stadler consiliarij Suitensis. His peractis, ad reliqua reficienda animum adiecit, ingentique labore, & industria, paucis annis Monasterium in antiquam claritudinem restituit. Sed ad restitutionem Monasterii breuiorem, & faciliorem, maximum adiuumentum, & emolumētum attulit, eodem anno Sexagesimo sexto, solito Septembri, Angelica Dedicatio, publicatisque, & longè, & latè fama dispersis, Pij 11. bullis, & ab pœna, & culpa Sacellum Virgineum visitantibus, & confessis, promissa remissione. Confederati sanè Tigurum, Berna, Lucerna, Vrania, Suitia, Siluania, Tugium, Glarona, quo clariorem, & frequentiore redderent, conuentu Tiguri facto, feria 111. ante D. Georgij literas ediderāt, quibus publicam fidem, itum, & abitum tutum, & securum omnibus, cuiuscumq; generis, & conditionis, ad Heremum tendentibus, & huius tanti beneficij participes esse cupientibus, ante Dedicacionem, per eam, & post eam, concedebant, & pollicebantur suas per ditiones, quas Rheno, & lacu Constantiensi circumscripserunt. Eo modo, & per Heluetiam, quam maximè exteri reformidabant, vt turbidam, & aduenis infestam, itinerum securitate promissa, ingens omninò ad Dedicacionis sollennitatem concursus fuit, multa donaria, & ad fabricam perficiendam subsidia oblata. Eodem anno obiit Burcardus episcopus. Suffectus Hermannus 111. ex nobilibus ab Landenberg. Anno sexagesimo septimo, multas iniurias fecit Schafhausianis Peregrinus nobilis ab Heudorff Sigismundi ducis minister, & consiliarius. Ea caussa fuit Confederatis obsidendi, sequenti anno, V Valdeshutti ducis opidi. Pacem inter partes idem qui sæpius antea Comes Palatinus reconciliauit, adiutantibus episcopis Basiliensi, & Constantiensi. Eodem anno, vendidit Geroldo abbati Heinricus ab Bosvvil mediam partem parochiæ

A. D. N.

C13. CD.

LXVI.

A. D. N.

C13. CD.

LXVII.

A. D. N.

C13. CD.

LXVIII.

*A. D. N.**CD. CD.
LXIX.*

Aeschentij, quam ab principibus Austriae pignori acceptam, hucusque rexerat, cum omnibus ad eam pertinentibus. Reseruabat sibi Henricus arces Freudenfels, & Vvildhaufe. Anno sexagesimo nono, emit Vvricus abbas S. Galli Comitatum Toggenburgensem cum omnibus ad ipsum pertinentibus, simulque arces, & dominia Lutisburgi, & Vvildhaufe; huius nomine, quia nostri Monasterij beneficium est, ab Geroldo consensus petijt, & accepit. Recipere nostris Principibus tamquam beneficium nunc etiam S. Gallenses soliti. Vendiderunt vero barones Raronenses, saluis Toggenburgensium priuilegijs, & cum Suiijs, & Glaronensibus federibus. Fridericus Imper. Romam profectus auxilium contra Turcam inter cetera ab pontifice implorauit. Sed praeter literas, quibus principes Germaniae, ne Imperatori deessent, hortabatur, nihil obtinuit. Eodem anno vniuit, & coniunxit Hermannus episcopus, & eius Capitulum Ecclesiam Burgi Aeschentij Monasterio Heremitano, licentiamque fecit perpetuum in ea Vicarium constituendi, nonnullis sibi conditionibus receptis. Ius etiam patronatus eiusdem Ecclesiae ab duce Sigismundo, anno superiori, Monasterio dono datum pariter episcopus confirmauit. Anno septuagesimo, Paulo 11. successit Sixtus 14. Anno septuagesimo primo Fridericus Norimbergae comitia frequentia celebrauit, eoque Helucios vocauit. Legatos, cum petenti contra Turcas ab ijs auxilium, eius se nullam habere potestatem respondissent, infirmatis Regalibus, prope cum ignominia domum remisit. Anno septuagesimo secundo Cometes illustris, ineunte Ianuario, adfulsit, vespere caudam versus Orientem, mane in Occidentem vergebat, maximo per totam noctem fulgore. Eodem anno Hermanno Constant. episcopo successit Otho ex Comitibus à Sonnenberg contra Ludouicum ex nobilibus à Friberg qui in schismate demum Romae obiit.

*A. D. N.**CD. CD.
LXX.**A. D. N.**CD. CD.
LXXI.*

Annus septuagesimus tertius maturus, & siccus. Mense Februario floribus passim compta arbores: Exeunte Iunio vuae concocta, & ante D. Ioannis messis confecta, non ea

*A. D. N.**CD. CD.
LXXII.**A. D. N.**CD. CD.
LXXIII.*

quidem

quidem per ficitatem opulenta, at sufficiens. Cæterum tantus passim æstus, vt non nullis locis siluæ sponte exarsissent. Mense Octobri, iterum effloruerunt arbores; cerasa ad festum D. Martini esui idonea, ceteri foetus ad maturitatem pervenire non potuerunt. Fridericus Imperator cum Maximiliano filio Basileam venit, initio Septembris: inde Treuirim abiit, nuptias MARIÆ Caroli Burgundiæ ducis filia Maximiliano conciliaturus. Cùm verò Carolus Burgundiæ Rex coronari, Romanique Imperij Vicarius nominari expetisset, Fridericus eius potentiam reueritus, siue petitionem iniquam ratus, re inopinata, secundo flumine versus Coloniam discessit. Carolus expectatione, & voto elusus in Alsatiã, & Comitatum Ferretanum, quas provincias cum Rheni vicinis opidis ab Sigismundo duce pignori acceperat, transijt. Heluetij, & aliquot Imperij Ciuitates de fædere contra Carolum feriendo, si aliquid moliretur, aut vim tentaret, Basileæ consularunt, festo Lucia.

Anno septuagesimo quarto, quia Petrus ab Hagenbach, quem Alsatiæ, & Sequanis præfecerat Burgundus, insolentius, & superbius, quam ferre possent, se gerebat, adeoque tyrannidem in sibi subiectos, in vicinos, & alienos habebat, conuentum contra eius violentiam fecerunt Basileæ, dux Sigismundus, Marchio Badensis, Comes Palatinus, Episcopi Basiliensis, & Argentinenfis, Heluetij Confederati, & aliæ Alsatiæ, & Rheni vrbes imperiales circiter xiv. Kalend. Februarij. Dein Constantiæ viii. Kalend. Aprilis. Ibi primum hereditarium fædus cum domo Austriaca, & Heluetijs Confederatis sancitum. Ludouicus rex Franciæ quoq; ibidem primus omnium Gallia regum fædus cum iisdem Heluetijs fecit. Bellum Burgundo decretum postremo feria iiii. ante Simonis & Iudæ, & Aricurtum, vnde frequentiores erant eruptiones, & excursiones obsessum, expugnatumque, profligato, cæsoque, qui auxilium obsessis ferebat, Comite Blaumontano. Anno septuagesimo quinto, Confederati Basileæ conuentum habuerunt de perse-

A. D. M.

CIC. CD.

LXXIV.

A. D. M.

CIC. CD.

LXXV.

quendo

quando Burgundico bello, quia Imperator eorum subitam cessationem post Aricurti deditioem, improbabat. Ipse noua auxilia contra Burgundum ab Imperij statibus implorauit. Nonnulli misere. Heluetij in Comitatum Burgundia profecti Pontem Arlim ceperunt, aliaque opida Cisiurana, quæ Burgundorum procerum erant, Granfonium, Urbam; & mox, quæ ad Duces Sabaudia pertinebant, Lausannam, Rollum, Neuidunum, & quidquid Geneuam usque fuit, quia com meatum, & militem hostibus Sabaudi præbebant. Carolus interea pace cum Friderico Imper. apud Nusium facta, in Lotharingiam duxit, breuique pene

A. D. N.

CLV. CD.

LXXVI.

totam subegit. Anno sequenti, cum ex Burgundia Comitatu in Heluetiam descendisset, Granfonium primum eius opidum obsedit. Sed inde profligatus maximam rerum suarum, sed & famæ detrimentum accepit. Restauratis viribus cum Moratum copias deduxisset inde quoque ab iisdem Confederatis Austriacis, Heluetijs, Rhenanis, repulsus est, sed multo maiori facta cæde. His duabus victorijs Heluetia, Alsatia, Sequani contra Burgundi impetum, & minas, odiumque recepti, & stabiliti. Cum sic quoque animum Carolus resumisset, media hieme, in Lotharingiam redijt, quam dux Renatus Confederatorum auxilio, post superiores pugnas, receperat, & Nancium omnibus copijs circumfedit, vbi tertio prælio victus, & interfectus Burgundico bello finem imposuit, anno septuagesimo septimo ineunte.

A. D. N.

CLV. CD.

LXXVII.

A. D. N.

CLV. CD.

LXXVIII.

Anno septuagesimo octauo fecit Sixtus v. fædus cum Heluetijs aliquot annorum, nonnulla honoris insignia misit. Idem frustra Maximilianus archidux per Archiepiscopum Maguntinum expetiuit. Bella præterita secuta pestilentia atrocissima, quasi eo flagello quidquid superfuera, deperdendum esset. In Heluetia vix tertia pars incolumis remansit. Anno nono & septuagesimo, multi fuere Tiguri conuentus, varijs de causis, Principum, & Confederatorum.

A. D. N.

CLV. CD.

LXXIX.

A. D. N.

CLV. CD.

LXXX.

Anno octogesimo primum omnium in Galliam regi militatum profecti Heluetij, mense Februario. Sequenti æstate, terribilis aquarum illuies plerosque vndique flumina

minum

minum pontes euerit, & abripuit: Anno octogesimo primo controuersiam inter Confederatos Heluetios propter diuisionem prædæ Burgundicæ exortam beatus Nicolaus heremita Siluanienſis composuit. Friburgum, & Salodorum in fæderis societatem à ceteris recepti, eiusdem heremitæ suafu, & auctoritate. Eodem anno Dominica ante D. Galli obiit abbas Geroldus, ſepultusque eſt apud ſanctum Geroldum cuius Præpoſituram hætenus adminiſtrauerat, curatore apud Heremum, vt diximus, relicto Cunrado. Poſt eius mortem ſuſcepit abbatiam, & principatum Heremitarum, auctoritate maxime Vlrici ſancti Galli abbatis, idem, qui prius curauerat, Conradus ex Baronibus ab Hohenrechberg.

A. D. N.
CLO. CD.
LXXXI.



CVNRA.